

*triplici differentia.* — Verum loquendo pro statu præsentis temporis, est distinguendum inter eremitas. Nam aliqui horum emittunt tria vota substantialia cujuscumque religionis, ab Ecclesia approbata: et de his fit mentio in cap. un. § fin. juncta Glossa *ŷ. Licentia de Excessib. prælat.* in 6. ubi permittitur religiosis mendicantibus, quod de licentia prælatorum suorum possint vitam eremiticam eligere. Alii vero, quamvis non sint professi alicujus religionis per emissionem trium votorum substantialium; tamen auctoritate episcopi fuerunt deputati pro servitio alicujus ecclesie, vel oratorii, atque de manibus episcopi susceperunt habitum eremiticum, et sub illius obedientia vivunt: prout multos se vidisse in statu ecclesiastico, et alibi, refert Fagnanus, c. *Nullus*, n. 61. de *Foro compet.* Tandem nonnulli sunt eremitæ, qui non sunt deputati servitio cujuscumque ecclesie auctoritate prælati ecclesiastici, sed voluntarie suscipiunt, atque pro libito suo deferunt habitum eremiticum. Quibus prænotatis.

24. *Eremitæ quamdam religionem professi, etc., veniunt nomine clericorum.* — Resp. I. Certum est, quod eremitæ quamdam religionem ab Ecclesia approbatam sub emissionem trium votorum substantialium professi, in materia favorabili veniant nomine clericorum; sicque gaudeant privilegio fori, et canonis, cum similibus. Ratio est clara: quia tales eremitæ sunt veri, et proprie dicti religiosi; ut cit. cap. un. de *Excessib. prælat.* in 6. et c. *Privilegium. 4. de Verb. signif.* in 6. In quo posteriori loco monachi, sive fratres in cellis ad monasterium aliquod spectantibus residentes « hoc est, loca secreta et solitaria, quæ ab hominum separata convicti, aut ad contemplandam, et Deo vacandum specialiter deputata, inhabitantes, » non solum reputantur veri religiosi, sed etiam singulari donantur privilegio exemptionis.

25. *Idem dicendum de eremitis, qui de manu episcopi receperunt habitum eremiticum pro servitio alicujus Ecclesie.* — Resp. II. Illi etiam eremitæ, qui, licet non sint professi cujuscumque religionis, tamen de manu episcopi receperunt habitum eremiticum, atque sub ejus obedientia vivunt deputati pro servitio alicujus ecclesie, vel oratorii, censentur personæ ecclesiasticæ; sicque in favorabilibus veniunt nomine clericorum. Ita Glossa can. *Qui vere*. 16. q. 1. *ŷ. Vero*, asse-

rens, quod eremitæ privilegium clericorum habeant, licet non renuntient propriis. Fagnanus cit. c. *Nullus*, n. 61. de *Foro compet.* post Cardinal. in Clem. *Per litteras*. n. 9. de *præbend.* Anton. de Butrio consil. 19. n. 19. vers. *Unde ex hoc* et alios. Idem tradit Innocentius c. *Cum monasterium*. 13. de *Election.* dicens, quod, « licet eremitæ possint habere proprium, quia non abrenuntiant, tamen ecclesiasticæ personæ sunt, etc. Quod ipsum tradit Joan. Andreas c. *Cum Monasterium*. n. 12. de *Election.* et Aloys. Riccius in *Praxi*, part. II. resol. 149. n. 1. allegans plurimos alios; atque asserens, esse communem doctorum, quod hujusmodi eremitæ gaudeant privilegio fori; et si delinquant, remittendi sint ad judicem ecclesiasticum.

26. *Hujusmodi vita eremitica, non est mere laicalis, sed ecclesiastica.* — Conclusio hæc desumitur ex cit. can. *Qui vere*. 16. q. 1. Ubi dicitur, quod veri eremitæ (ut puta, recepti auctoritate episcopi, etc.) « Digni sunt convenienti honore: » sicque præferuntur personis mere laicalibus. Accedit, quod can. ult. § *Item Joannes*. 2. q. 7. dicatur, sanctum Joannem Baptistam duxisse vitam eremiticam; ergo hæc non est vita mere laicalis, sed ecclesiastica. Idem amplius probatur ex can. *Duo sunt genera*. 12. q. 1. Ubi illud christianorum genus reputatur inter clericos, « Quod mancipatum divino officio, et deditum contemplationi, et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit. » Atqui his enumerantur eremitæ, recepti auctoritate episcopi loci ad servitium cujuscumque Ecclesie, vel oratorii; ergo.

27. *Idem dicendum de tertiariis, religionum, quando sub obedientia prælatorum inserviunt ordini, aut Ecclesie.* — Et quæ hactenus dicta sunt de eremitis, ex manibus episcopi habitum eremiticum recipientibus, atque sub ejusdem obedientia servitio cujuscumque ecclesie, vel oratorii incumbentibus: procedunt pariter de tertiariis, seu de illis, qui habitum tertiæ regulæ cujuscumque ordinis de manu prælatorum regularium, ad hoc auctoritate pontificia facultatem habentium recipientes, sub ejusdem, vel episcopi loci obedientia vivunt, atque ordini, vel alteri ecclesie inserviunt; quamvis tria vota substantialia religionis non emittant, atque idcirco proprium habere possint. Ratio est, quæ supra. Accedit, quod tales eremitæ, etsi non sint proprie religiosi, ob defectum votorum substantialium, præferantur nihilomi-

nus aliquem vivendi modum ab Ecclesia permissum, imo et approbatum: ergo, cum deferant habitum eremiticum, legitima auctoritate a prælati ordinis sibi concessum, atque a secularium vestibus patenter distinctum; simulque ordini, vel Ecclesie inservientes, divinis officiis specialiter sint mancipati, nequeunt censeri esse professionis mere laicalis; sicque in materia favorabili veniunt nomine clericorum, gaudentque privilegio tum fori, tum canonis.

28. *Secus dicendum de eremitis, qui sine auctoritate prælatorum, voluntarie deferunt habitum eremiticum.* — Resp. III. E contra eremitæ illi, qui non sunt professi quamdam religionem, neque deputati Ecclesie servitio auctoritate prælati ecclesiastici, sed voluntarie suscipiunt, atque ad libitum deferunt habitum eremiticum, neququam sunt personæ ecclesiasticæ; nec ullo modo gaudent privilegio clericali. Ita Joan. de Lignano in Clem. *Per litteras de Præbend.* asserens, quod sicuti eremitæ (hujusmodi videlicet) ex utero matris exierunt laici; ita perseverent laici, et sub potestate imperatoris. Cardinalis in ead. Clem. *Per litteras*. n. 9; Riccius cit. resol. 149, n. 9; Fagnanus d. c. *Nullus*. n. 63 de *Foro compet.* citans alios atque asserens, in hoc convenire doctores. Ratio est, tum quia tales non sunt adstricti ulli regulæ, nec subsunt speciali ratione præ laicis episcopo loci, vel alicui superiori regulari; neque ad ullum usum pium, sive ecclesiasticum auctoritate Ecclesie, hoc est, prælati facultatem habentis, sunt deputati. Quinimo vivunt sicuti locustæ sine rege, ut inquit Glossa can. *Qui vere*. 16. q. 1. *ŷ. Vero*. vagantes hinc inde sine certo duce, atque etiam ad libitum recedentes: unde nihil eis supervenit, ex quo desinant esse meri laici, atque eripiantur a jurisdictione imperatoris; tum quia absurdum foret, quod tales pro sola voluntate sua possent se eximere a jurisdictione sæculari. Abbas c. *Nullus*. n. 10. et Fagnanus, ibid. n. 63. de *Foro compet.* cum aliis.

29. *Nisi alicubi vigeret contraria consuetudo.* — Fatendum tamen, quod si alicubi vigeret consuetudo, ut tales etiam eremitæ gaudeant privilegio fori, aut hujusmodi, dicta consuetudo foret observanda: cum neque sit contraria legi divinæ, aut bonis moribus; nec aliunde irrationalibus, vel a jure communi reprobata inveniatur. Fagnanus, loc. cit. n. 64. allegans alios, atque n. 70, decla-

rationem cardinalium sac. concilii Tridentini interpretum desuper factam adducens.

## § II

DE HONESTATE VITÆ CLERICALIS IN GENERE, ET QUOAD NONNULLA IN SPECIE.

30. *Duplex in clericis requiritur vitæ honestas, interior et exterior.* — Quæritur I. Ad quam generatim vitæ, morumque honestatem clerici obligentur? Resp. I. Generatim loquendo, duplex in clericis requiritur vitæ honestas, interior videlicet, ac exterior. Harum prior consistit in munditia cordis, atque interno cœlestium virtutum exercitio; nam clericos, utpote specialiter in sortem Domini vocatos, atque divino officio mancipatos, « convenit cessare ab omni strepitu temporalium, et deditos esse contemplationi, et orationi, » juxta textum can. *Duo sunt genera*. 12. q. 1. Concordat illud propheticum Isaie cap. LII, 11. *Mandanini, qui fertis vasa Domini*, cum similibus. Exterior autem honestas clericorum consistit præcipue in tribus; videlicet in recta probitate morum, ac honesta conversatione; in honesto, ac decenti habitu; atque in debito, convenientique exercitio officiorum, et negotiorum statui suo convenientium, fugaque non convenientium: de quibus plura singillatim in progressu.

31. *Debentque quoad utramque laicos antecellere.* — Resp. II. Clerici, utpote specialiter vocati in sortem Domini, atque divinis obsequiis mancipati, et in castris dominicis supra alios positi, debent quoad utramque memoratam vitæ, morumque honestatem laicos antecellere. Textus est in can. *Beatus Petrus. § Infames*. 6. q. 1, ubi sanctus Petrus, apostolorum princeps, præcepisse legitur, « Conventorum sacerdotum vita superiorem, sanctiorumque, ac discretam a secularibus, et laicis hominibus esse. » Id ipsum, atque universali-ter de omni gradu clericorum loquendo, habetur. c. *Qualis enim*. 8. q. 1. illis verbis: « Unde non solum episcopi, presbyteri, et diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsent, conversatione, sermone et scientia præcedant: verum etiam, et inferior gradus, exorcistæ, lectores, æditui, acolythi, et omnes omnino qui domui Dei inserviunt. Quia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse, quam clericos; » cum similibus.

32. *Afferuntur notabiles textus quoad hoc.* — Hinc concilium Tridentinum sess. 22. cap. 1. *de Reform.* saluberrime decrevit in hæc verba: « Nihil est, quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt: cum enim a rebus sæculi in altiore sublato locum conspiciantur, in eos tanquam speculum reliqui oculos conjiciunt, ex eisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericis in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum, præ se ferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum dictiones cunctis afferant venerationem. » Hactenus concilium: quibus similia habet, sess. 25. cap. 1. *de Reform.* et alibi.

33. Atque hæc procedunt non solum de clericis inferioribus, sed vel maxime in episcopis, aliisque prælati ecclesiasticis. Nam, ut idem œcumenicum concilium, sess. 25. cap. 1. *de Reform.* observat: « Totius familiæ Domini status, et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Etenim prælati debent esse duces gregis, et pastores, can. *Sciscitaris*. 7. q. 1. Atqui vita pastoris, debet esse exemplar subditis, can. *Cum pastoris*. 2. q. 7. Unde, qui præsumunt, non ex locorum, vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debent, can. *Nos qui præsumus*, dist. 40. et l. *Si quempiam*. c. *de Episcop. et cleric.* Alioquin « vilissimus computandus est, nisi præcellat scientia, et sanctitate, qui est honore præstantior » prout inquit Symmachus papa, relatus can. *Vilissimus*. 45. caus. 1. q. 1.

34. Pulchre ad propositam sanctus Gregorius papa Homil. 7. in *Luc.* 10. sic loquitur. « Nullum puto, Fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit; dare de se exempla pravitate cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus: nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vocamus, terrena concupiscimus humanam gloriam intenta mente captamus, » etc. Hæc ille, pluribus in progressu deplorans miserandam quorundam pastorum malitiam, qui quærentes, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, mercenarium agunt, veniente

lupo fugientem; non pastorem, oves sibi commissas in necessitate deferentem. Unde idem sanctus Gregorius papa Homil. 14. in *Evang.* sic ait: « Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet sed lucra animarum non quærit: terrenis comamodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur: » cum similibus. Atque istud « maximæ malitiæ genus est, et plurimorum causa malorum, » teste sancto Chrysostomo Homil. 59. in *Joan.* Qua de causa æternum Væ talibus impiis, atque indignis pastoribus, imprecatur Dominus apud *Ezechiel.* xxxiv, 2. dicens. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges a pastoribus pascuntur?*

35. *Vitæ honestas episcoporum describitur a divo Apostolo ad Titum*, 1, 6 et seqq. — Resp. III. Integritatem vitæ, morumque honestatem, præsertim in episcopis requisitam, paucis complectitur sanctus Apostolus cap. 1. *ad Titum*, scribens: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, etc.* Atque de hisce virtutum prærogativis ad longum, et ex professo, agit in Decreto Gratiani, dist. 40. 41. et seqq. Singulas hæc qualitates, specialiter in episcopis requisitas, pluribus conciliorum, atque sanctorum Patrum auctoritatibus exornando, et declarando.

36. *Quæ suo modo etiam in clericis inferioribus desideratur.* — Resp. IV. Prædicta virtutum ornamenta, licet specialiter requiruntur in episcopis, veluti perfectionis magistris, suo tamen modo etiam in clericis inferioribus desiderantur. Ita communis. Unde idem Apostolus, cit. II, 5. *ad Titum* scribens, præcepit quidem, constitui per ipsum presbyteros, sed non nisi probos, omnique crimine carentes: *Ut constituat (inquit) per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, etc.* Idem I. *Timoth.* III, 8-10. loquens de diaconis, ait: *Oportet diaconos similiter esse pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia*

*dura. Et hi autem probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes.* Id ipsum requirunt passim sacri canones; ac novissime concilium Tridentinum, sess. 14. in præem. *de Reform.* et sess. 22. cap. 1. *de Reform.* et sess. 23. cap. v. et seqq. *de Reform.* et alibi.

37. *Ea in exterioribus quoque clericorum moribus elucescere debet.* — Resp. V. Honestas vitæ clericalis etiam in exterioribus clericorum moribus elucescere debet. Sic quippe can. *Clericus*. dist. 41. in concilio Carthaginensi 4. cap. XLV. refertur statutum: « Clericus professionem suam et habitum, et incessu probet. » Unde, ut ibid. § *Sicut*. subjungitur, « In incessu debet esse sacerdos ornatus, ut gravitate itineris, mentis maturitatem ostendat. Incompositio enim corporis (ut Augustinus, Epist. 109. ait) inæqualitatem indicat mentis. » Huc facit illud æternæ Sapientiæ, *Ecclesiastici*. XIX, 26-28. generaliter de omnibus pronuntiatum: *Ex visu cognoscitur vir, et ab occurso faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.* Patet proinde, quam necessaria sit clericis gravitas morum, atque honestas vitæ etiam exterioris: ne forte (quod absit) verificetur in ipsis illud propheticum *Isaiæ*, LIX, 8 *Non est judicium in gressibus eorum.* Sed potius, juxta monitum Apostoli I *Corinth.* XIV, 40. per ipsos clericos omnia honeste, et secundum ordinem *fiant.* Verum descendendo ad specialiora.

38. *Clerici, etiam minoristæ, tenentur caste vivere: alioquin per judicem ecclesiasticum sunt puniendi.* *Dictio Præsertim, est implicitiva.* — Quæritur II. Sub qua obligatione clericus teneatur caste vivere? Resp. I. Clericus non solum in sacris ordinibus constituti, sed etiam minoristæ, tenentur ab omni libidinis vitio abstinere, casteque vivere: alioquin per judicem ecclesiasticum pro merito culpæ sunt puniendi. Textus ex in c. *Ut Clericorum*. 13. h. t. quod est desumptum ex concilio Generali, seu Lateranensi, celebrato sub Innocentio III. et sic inter alia loquitur: « Clerici continenter, et caste vivere studeant universi, præsertim in sacris ordinibus constituti: ab omni libidinis vitio præcaveant. » etc. Et infra: « Statuimus, ut qui comprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis, aut minus peccaverint, puniantur. » Ubi Abbas n. 2. ponderando iy, præsertim in sacris ordinibus, recte notat, textum illum etiam procedere in clericis mi-

noristis: nam dictio, *præsertim*, est implicitiva; atque ex propria vi, et natura implicat, idem esse in casu contrario (puta; quamvis clericus non sit constitutus in sacris) licet in illo fortior militet ratio. Everardus, loco 110. « a natura dictionum implicatarum. » n. 1. et seqq.; Barbosa, *Tract. de Dictionibus*. diction. 277. n. 1. et seqq. et alii.

39. *Differunt tamen minoristæ a clericis in sacris ordinibus constitutis, quoad obligationem servandi castitatem.* — Resp. II. Nihilominus quoad obligationem servandi castitatem, est notabilis differentia inter clericos in sacris ordinibus constitutos, et inter clericos minoristas. Ita Abbas cit. c. *Ut clericorum*. n. 2. h. t. et communis theologorum, atque canonistarum. Siquidem clerici minoristæ licite possunt, si voluerint, matrimonium inire, uxoremque ducere cap. 1. et c. *Quod a te*. 3. *de Clericis conjugat.* et alibi: secus est in clericis constitutis in sacris. Deinde differunt in quantitate delicti: nam minus peccant (cæteris paribus) clerici minoristæ extra matrimonium violantes castitatem, quam clerici in sacris ordinibus jam constituti: eo quod illi peccent contra solam virtutem castitatis; hi vero etiam peccent contra virtutem religionis, ob annexum sacris ordinibus votum continentia. Quod ut melius intelligatur,

40. *Clerici in sacris constituti, tum illicite, tum invalide contrahunt matrimonium.* — Resp. III. Clerici in sacris ordinibus constituti tenentur ad servandam perpetuam continentiam, seu castitatem: adeo, ut non solum illicite, sed etiam invalide contrahant matrimonium. Ita communis: idque patet ex can. *Presbyteris*. dist. 27. et can. *Nullum facere*. ac seqq. dist. 28. et cap. 1. et IV. *de Clericis conjugat.* cum concordantiis; juncto concilio Tridentino, sess. 24. can. 9. oppositum damnante sub anathemate. Quinimo, si clericus in sacris constitutus præsumeret matrimonium contrahere, præter hujus nullitatem, aliasque poenas idcirco debitas, etiam ipso facto excommunicationis sententiam incurreret. Clem. *Eos qui de consanguinit. et affinit.* Verum de hoc plura inferius. tit. III. *de Clericis conjugatis.*

41. *Tenenturque servare perpetuam continentiam, non solum ex motivo castitatis, sed etiam ex virtute religionis.* — Resp. IV. Clericis in sacris ordinibus constituti tenentur ad servandam perpetuam continentiam non solum ex motivo castitatis, ut cæteri homines extra legitimum matrimonium: sed etiam

ex virtute religionis, ratione voti castitatis jure ecclesiastico sacris ordinibus annexi. Ita Glossa c. *Cum olim*. 6. §. *Votum continentie de Clericis conjugat*. istud, argumento a sensu contrario desumpto, probans per textum ibid. dicentem: « Nos attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentie non admisit. » Glossam sequitur Abbas, ibid. n. 4. asserens, eam quotidie allegari in materia. Barbosa, part. II. *de Offic. et potest. Episcop.* allegat. 15. n. 2. citans alios: eandemque sententiam in terminis tradit Scotus 4. dist. 25. q. 2. § *Hic breviter*, inquit: « Quia susceptioni ordinis sacri annexum est votum continentie; ut habetur extra. » c. *A multis de Aetate et qualit.* Atque contra nonnullos alios, doctorem subtilem in contrariam sententiam trahere conantes, soluto horum fundamento, egometipse ex professo ostendi in *Theolog. moral.* tract. XIV. dist. 12. n. 27. 28. et 29.

42. *Infertur corollarium practicum.* — Infertur proinde, quod clerici in sacris constituti, ratione voti castitatis teneantur abstinere ab omni deliberata delectatione venerea, ætque tum interno, qui militat contra virtutem castitatis: uti sunt, non solum fornicatio, aut alius actus venerens; sed etiam cogitationes venere, delectationes morosæ, aspectus impudici, vel tactus obsceni, etc. Unde, quidquid in sæcularibus extra legitimum matrimonium, est aliquo modo peccatum contra castitatem: id ipsum in memoratis clericis est etiam sacrilegium, ratione voti, adeoque habet duplicem malitiam: ita tamen, ut malitia sacrilegii sit mortalis in illis actibus, in quibus malitia libidinis est mortalis; venialis vero, in quibus illa est venialis prout non raro contingit ratione inadvertentiæ, et imperfecti consensus. Lessius, lib. II. *de Just. et jur.* cap. xli. n. 78. cum aliis; et jam dixi in *Theolog. moral.* tract. V. dist. 3. n. 5.

43. *Accessus ad moniales alloquendas est prohibitus, præsertim clericis.* — Quæritur III. Qua ratione sit prohibitus, præsertim clericis, accessus ad moniales alloquendas? Resp. De hoc extat peculiaris constitutio in c. *Monasteria* 8. h. t. Ubi pro meliori observantia castitatis, ex utraque parte Deo promissæ, specialiter prohibentur, ne « Monasteria sanctimonialium quisquam clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare præsumat: » alioquin « per episcopum arceatur, et si non destiterit, ab officio ecclesiastico

reddatur immunis. Si laici hoc ipsum facere præsumpserint, excommunicationi subdantur, et a cœtu fidelium fiant penitus alieni. » Ita concilium generale, seu Lateranense sub Innocentio III. cap. xi. quod refertur d. c. *Monasteria*. 8. h. t.

44. *Frequentare monasteria monialium, quis censeatur?* — Circa quem textum ponderandum est *ly, frequentare*: siquidem in præsentia capitulo sola frequentia reprobatur, ut notat Glossa ibid. §. *Frequentare*. Subjungit tamen eadem Glossa, quod hujusmodi frequentatio videatur indici ex duabus vicibus, seu binis accessibus ad dicta monasteria monialium, harumque allocutionibus, arg. can. *Ita nos*. 25. q. 2. juncta Glossa, ibid. §. *Usum*. inde inferente, quod « duæ vices in criminalibus inducant consuetudinem. » Id ipsum tenent Stephan. Gratianus, *Disceptat. Forens.* 393. n. 17. cum nonnullis aliis, quos pro hac sententia allegat Barbosa in *Collectan.* ad cit. c. *Monasteria*. n. 7. et 8. h. t.

45. Verum, licet cæteroquin in criminalibus germinatio actus criminosi censeatur inducere consuetudinem, talem videlicet, quæ sufficit ad graviolem ejus punitionem; ut jam dictum supra, lib. I. tit. IV. *De Consuetudine*. § 4. n. 121. et 124. nihilominus in proposito casu videtur melius dici, istius frequentie declarationem esse relinquendum arbitrio judicis, qui id dijudicabit pensatis aliis circumstantiis. Potest enim contingere, quod quis decem vicibus alloquatur monialem, et tamen non censeatur frequentare ejus alloquium; puta, si iid fiat spatio trium, vel plurium annorum, semper interpolatum spatio trium, vel plurium mensium: e contra vero ille censeretur frequentare, qui tribus vicibus, diebus continuis, absque ulla manifesta et rationabili causa eam alloqueretur. Ludov. Miranda, tract. *de Sacris monialibus*, quæst. 4. art. I. concl. 1; Barbosa, ubi supra. n. 8. et part. III. *de Offic. et potest. Episcop.* allegat. 102. n. 70. post Navarrum in can. *Cum consideret*. n. 23. *de pœnit.* dist. 5; Pirling h. t. n. 3. allegans Sanchezium, lib. VI. in *Decalog.* cap. xxxi. n. 400. et alios. Verum de hoc alibi: nam in cap. i. § 1. *de Statu Regular.* in 6. sub pari prohibitione etiam statuitur, ut « nulli aliquatenus inhonestæ personæ, vel etiam honestæ (nisi rationabilis, et manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia ingressus, vel accessus pateat ad easdem moniales, » etc. Estque hæc constitutio novissime

innovata per concilium Tridentinum, sess. 25. cap. v. *de Regular.* (ADNOTATIO XXIX.)

46. *Crapula, quid, et quam nociva?* — Quæritur IV. Quakter, quibusque sub pœnis, clerici abstinere teneantur a crapula, et ebrietate? Ubi prænotandum, quod quidem hodie *Crapula* accipi solet pro excessu in potu, minore tamen, quam sit ebrietas: proprie tamen, ac in sensu a sanctis Canonibus intento, sicut ebrietas excessum in potu, ita crapula, excessum in cibis significat. Hinc Glossa 1. in c. *A crapula*. 14. h. t. et Abbas ibid. n. 1. h. t. inquit, quod *Crapula*, dicitur immoderata voracitas ciborum. Et dicitur *Crapula*, quasi *Cruda epula*: quia homines ita voraciter epulantes, nimiamque ciborum superfluitatem assumentes, perfecte non digerunt, sed materiam indigestam emittunt. Et hanc ciborum immoderantiam pluribus perstringit S. Hieronymus, relatus can. *Ne tales*, et can. *Legimus. de consecrat.* dist. 5. Nec immerito: nam qui sæpius, quam hominem a bruti animalibus naturali quadam frugalitate contentis superari, dum ventris sui quasi mancipium agit, dum bona sua dissipat, valetudinem lædit, morbos accersit, ac vitam ipsam abruptit: juxta illud *Ecclesiastici*, xxxvii, 33. *In multis escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit, usque ad choleram. Propter crapulam multi oberunt: qui autem abstinens est, adjicit vitam: cum similibus.*

47. *Ebrietas et ebriosus, quis?* — Cæterum Ebrietas refertur ad superfluitatem potus: et dicitur *Ebrietas*, ab *e*, quod est *sine*, et *bria*, quod est *mensura*: sicque est potus immoderatus causa voluptatis. Unde *Ebrius* dicitur, qui sine mensura bibit: hoc est, usque ad privationem usus rationis. Glossa loc. cit. Et ab hac nos revocare volens Salvator, *Luce* xxi, 34. præcepit, dicens: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra a crapula, et ebrietate.* Et divus Apostolus *ad Ephes.* v, 18 *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: cum concordantiis.* Idque præcipue esse observandum clericis, utpote in sortem Domini specialiter vocatis, patet ex sacris canonibus, gravissimas pœnas in transgressores statutibus; uti patet ex can. 41. *Apostolorum.* et can. ult. dist. 35. et alibi. Quo prænotato.

48. *Clericis a crapula, et ebrietate abstinendum est; alioquin, si moniti non abstineant ab officio vel beneficio suspendendi sunt.* — Resp. I. Adeo clericis a crapula, et ebrietate abstinendum est, ut si quis eorum transgressor

fuert, et monitus non desistat, ab officio, vel beneficio, per superiorem suspendendus sit. Textus est in c. *A crapula*. 14. h. t. ubi relatum concilium generale penetranter sic præcipit: « A crapula, et ebrietate, omnes clerici diligenter abstineant: unde vinum sibi temperent, et se vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas et mentis inducat exilium, et libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales, suo modo se obligant potatores: et ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, et calices fecundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a superiore communitus satisfecerit, ab officio, vel beneficio suspendatur. » Hæc ibi. Quibus similia habentur can. *Episcopus*. dist. 35. ubi ex canonibus Apostolorum statuitur: « Episcopus, aut presbyter, aut diaconus aleæ, atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communiore privetur. » Concordat novissime concilium Tridentinum sess. 22. cap. i. *de Reform.* sub eisdem pœnis per antiquos canones statutis, vel etiam majoribus, arbitrio ordinarii intelligendis, decentem vitæ morumque compositionem, simulque abstinentiam « a luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, » seriose injungens.

49. *Et ratio tam rigide prohibitionis.* — Cæterum ratio tam rigide, sæpiusque repetite in jure prohibitionis, est imprimis gravissima Dei offensa, propter quam ebriosis regnum Dei non possidebunt. I. *Corinth.* vi, 13. Utpote, quorum Deus venter est, teste Apostolo *ad Philipp.* iii, 19. Accedit, quod ebrietas et mentis inducat exilium, libidinis provocet incentivum, juxta textum proxime allegatum ex c. *A crapula*. h. t. Siquidem « luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas: omnis qui cum his miscetur, non erit sapiens, » uti legitur can. *Luxuriosa*. dist. 35. Quinimo ebrietas « omnium vitiorum fomes, ac nutrix est; » uti testatur concilium Agathense, relatum can. *Ante omnia*. dist. 35. cum concordantiis.

50. *Dicta pœna suspensionis ab officio, vel beneficio, non est lata sententiæ.* — Resp. II. Memorata pœna suspensionis ab officio, vel beneficio, in clericos ebriosos statuta, non est lata, sed ferendæ primæ sententiæ: